

ad me, inquit, filii, sed ad Deum accedite. Verum, quum illi non desisterent obsecrare, utriusque zonas accepit, atque inter illas utrinque collocatas, genibus flexis, Deum precatus est: post autem zonas illis restituit, ut se cingerent. Et Dei gratia factum est, ut post novem menses mulier filium pepererit. Est carmen Græcum Georgii Pifidæ, quo vitæ hujus calamitatem deplorat, ad Sergium Patriarcham inscriptum, ubi illum ab animi demissione aliisque virtutibus plurimum commendat. Excerptum Latine legitur apud Baron. ad ann. 608. num. 5. Joannes Philoponus compositum a se in Hexaëmeron Commentarium, eidem Sergio Patriarchæ Constantinopolitano nuncupavit. Theophylactus Simocatta honorificam ejusdem mentionem (suppresso licet nomine) facit in Proœmio suæ historiæ in Dialogo Philosophiæ & Historiæ, ubi mirifice eum laudat, illius videlicet temporis Patriarcham, studiis liberalibus, ipsique historico amicissimum, cujus auctoritate ac voluntate permotus, ad eam historiam conscribendam accessisse videtur; *An tu, Regina, non nosti totius orbis Præfulem & Antistitem?* (sic loquens inducitur Historia: Cui Philosophia respondet.) *Equidem novi: est enim amicus meus pervetus, & thesaurus familiarissimus. Historia. Habes igitur, Regina, ad id quod quæsitum responsum ex tempore. Rem exoptabilem ille in vitam reduxit, meque tamquam e sepulcro aliquo taciturnitatis recuperavit: & ut Alcestem aliquam viribus alicujus Herculis malorum depulsoris resuscitavit. Adoptavit autem me excelso animo, splendida veste operuit, & monili decoravit aureo: & hunc erobylum si ve plexum capillorum in vertice, cicada ex auro insidente, divinus hic vir exornavit, & qua vides ratione illustravit, stabilemque mihi sedem benevole proposuit, & libertatem omni periculo vacantem concessit. Philosophia. Miror Antistitis ingentem animum, quo tam alte in recte factis ascendit, & in summo fastigio divinæ scientiæ sese collocavit, & usque ad apicem virtutum progressus est, omnesque sub sole prærogativas consecratur. Cui vita est, omnimodis optimæ & cultissimæ artes. Nec enim* vel